

EL CARMEN DE PROVIDENTIA DEI.
ESTUDIO HISTÓRICO Y DOCTRINAL

Doctorando: Raúl Villegas Marín
Director: Prof. Dr. Josep Vilella Masana

Para optar al título de doctor en Historia
Programa de doctorado: “Mediterrània: Prehistòria i Món Antic” (2000-2002)
Departamento de Prehistoria, Historia Antigua y Arqueología
Facultad de Geografía e Historia
Universidad de Barcelona

APÉNDICE

EL *CARMEN DE PROVIDENTIA DEI*
EDICIÓN CRÍTICA DE M. MARCOVICH

APÉNDICE

CARMEN DE PROIDENTIA DEI*

“Maxima pars lapsis abiit iam mensibus anni,
quo scripta est uersu pagina nulla tuo:
quae tam longa tibi peperere silentia causae,
quisue dolor maestum comprimit ingenium,
(5) quamquam etiam grauibus non absint carmina curis
et proprios habeant tristia corda modos?
Ac si te fracti perstringunt uulnera mundi
turbatumque ima si rate fert pelagus,
inuictum deceat studiis seruare uigorem:
(10) cur mansura pauent, si ruitura cadunt?”

O felix cui tanta Deo tribuente facultas
contigit, ut tali tempore liber agat:
quem non concutiat uicina strage ruina
intrepidum flammis inter et inter aquas!
(15) Nos autem tanta sub tempestate malorum
inualidi passim caedimur et cadimus:
cumque animum patriae subiit fumantis imago
et stetit ante oculos quicquid ubique perit,
frangimur, immodicis et fletibus ora rigamus,
(20) dumque pios agimus, uertimur in querulos.

Nec parcunt quidam turbatam incessere mentem,
linguarum et iaculis saucia corda petunt.
“Dic, aiunt, causas qui rerum hominumque labores
arbitrio credis stare regique Dei,
(25) quo scelere admisso pariter periere tot urbes,
tot loca, tot populi: quid meruere mali?
Si totus Gallos sese effundisset in agros
Oceanus, uastis plus superesset aquis:

quod sane desunt pecudes, quod semina frugum,

* Edición M. Marcovich, *Prosper of Aquitaine. De prouidentia Dei. Text, Translation and Commentary*, Leiden / Nueva York / Copenhague / Colonia 1989 (*Supplements to Vigiliae Christianae*, 10), pp. 4-66.

(30) quodque locus non est uitibus aut oleis:
quod fundorum aedes uis abstulit ignis et imbris,
quarum stare aliquas tristius est uacuas.

Si toleranda mali labes, heu caede decenni
Vandalicis gladiis sternimur et Geticis:
(35) non castella petris, non oppida montibus altis
imposita, aut urbes amnibus aequoreis
barbarici superare dolos atque arma furoris
eualuere omnes: ultima pertulimus.

Nec querar extinctam nullo discrimine plebem,
(40) mors quoque primorum cesset ab inuidia
(maiores anni ne forte et nequior aetas
offenso tulerint quae meruere Deo):
quid pueri insontes, quid commisere puellae,
nulla quibus dederat crimina uita brebis?

(45) Quare templa Dei licuit popularier igni,
cur uiolata sacri uasa ministerii?
Non honor innuptas deuotae uirginitatis,
nec texit uiduas relligionis amor.

Ipsi desertis qui uitam ducere in antris
(50) suerant, laudantes nocte dieque Deum,
non aliam subiere necem quam quisque profanus:
idem turbo bonos sustulit atque malos.

Nulla sacerdotes reuerentia nominis almi
discreuit miseri suppliciiis populi:
(55) sic duris caesi flagris, sic igne perusti,
inclusas uinclis sic gemuere manus.

Tu quoque puluereus plaustra inter et arma Getarum
carpebas duram, non sine fasce, uiam,
cum sacer ille senex plebem, usta pulsus ab urbe,
(60) ceu pastor laceras duceret exul oues.

Verum haec sub belli sileantur turbine gesta,
confusis quoniam non fuit ordo malis:

forte etenim placidas res mundi et tempora pacis
arbitra dignetur cernere cura Dei.

(65) Si cunctos annos ueterum recolamus auorum
et quicquid potuit nostra uidere dies,
maximus iniustus locus inuenitur in orbe,
oppressis autem pars prope nulla bonis.

Qui fuerit uiolentus, atrox, uersutus, auarus,
(70) cuius corde fides cesserit, ore pudor,
hunc omnes mirantur, amant, reuerentur, honorant,
huic summi fasces, huic tribuuntur opes:
quod si quis iustus castam et sine crimine uitam
dissimili studio ducere maluerit,
(75) hic inhonorus, inops, odium iuuenumque senumque,
in totis mundi partibus exul agit.

Impius exultat maturis integer annis:
carpere non cessant ulcera dira pium.
Falsa ualent in iudiciis et uera laborant:
(80) insontes sequitur poena, salusque reos.
Ignorata piis illudit adultera sacris,
blasphemus templi limina tutus adit.
Quae si cura Dei celsa spectaret ab arce
resque ageret nostras sub ditione sua,
(85) aut non effugerent ultrices crimina poenas,
aut uirtus terris sola reperta foret.”

Talia cum facilis uulgi spargantur in aures,
quam multis rudibus lingua maligna nocet!
Nec tantus dolor est Scythicis consumier armis,
(90) quantus ab infidis cordibus ista seri.
Prome igitur sanctis caelestia tela pharetris
et medicis hostem confice uulneribus!
Forte aliqui poterunt errorum euadere noctem
inque uiam uisa luce referre pedem.
(95) Ac ne sermo moram patiat ab impare uersu,
heroi numeris porrige pentametrum.

Ista quidem melius diuinis edita libris
cognoscenda forent, ubi Legis in aequore aperto
promptum esset uentis dare libera uela secundis:
(100) sed quoniam rudibus metus est intrare profundum,
in tenui primum discant procurrere riuo.

Quae iacet extremo tellus circumdata ponto
et quae gens hominum diffusa est corpore mundi
(seu nostros annos, seu tempora prisca reuoluas)
(105) esse omnes sensere Deum, nec defuit ulli
Auctorem natura docens. Et si impius error
admisit, multis tribuens quod debuit uni,
innatum est cunctis Genitorem agnoscere uerum.

Hic auctore carens et tempore permanet idem
(110) semper, et immensum non saecula nec loca claudunt.
Hic nullis mundi causis extantibus, in se
quicquid uellet habens, cum uisum est, omnia solus
condidit ut uoluit, formas numerosque modosque,
et genera et uitas statuens et semina rebus.

(115) Quicquid inest caelo, quicquid terraeque marique,
quicquid quocumque est in corpore siue animatum
siue expers animae (calida, humida, frigida, sicca),
uno extant auctore Deo: Qui diuine Verbo
(quod Deus est) rerum naturas atque elementa
(120) protulit, et summis Opifex intentus et imis.

Quod uero aduersis compugnant condita causis
atque aliis alia obsistunt, contraria discors
omnia motus alit, dumque illi occurrit illo,
uitalem capiunt cuncta exagitata uigorem.
(125) Quae uel pigra situ, uel prono lubrica lapsu
aut cursu instabili, stabili aut torpore perirent.
Mollia sic duris, sic raris densa resistunt,
et liquidis solida, et tardis uelocia, claro
obscurum obiectum, et dulci contendit amarum.

(130) Nec mihi fas dixisse aliquid non rite creatum,
aut ullas ausim mundi reprehendere partes,
cum Sator ille operum teneat momenta suorum
et carptim uarios in totum temperet usus.

Denique quicquid obest, aut causa aut tempore uerso

(135) prodest, et gemino subsistunt cuncta periclo.

Frigora perpessus solem cupit: ustus ab aestu
inter Hyperboreas mauult algere pruinas.

Iniusto pluuiam metuit sub fasce uiator,
quam poscit uotis sitienti rusticus agro.

(140) Caeruleos angues timor isti est uisere, at illi
intrepida excoctis oneratur mensa chelydris.

Quod si forte lupos lyncasque ursosque creatos
displicet, ad Scythiae proceres regesque Getarum
respice, quis ostro contempto et uellere Serum

(145) eximius decor est tergis horrere ferarum.

Singula sectari longum est, sed munere Christi
scire datum: quod alit tellus, quod in aequore uiuit,
quicquid in arboribus, quicquid uariatur in herbis,
in laudem Auctoris certis subsistere causis,

(150) et quae sola nocent, eadem collata mederi.

Est igitur Deus, et bonus est, et quicquid ab illo
effectum est culpa penitus uacat atque querela.

Omnem autem hanc molem mundi qui condidit, ipse
et regit, utque nihil non ortum sumpsit ab illo,

(155) sic nihil est quod stare queat Factore remoto.

Nam qui pigra Deo dant otia, credo, uerentur,

ne curae intentum uigiles durique labores
conficiant et tanta simul non explicet unus.

O mersi in tenebras diuinique ignis inanes,

(160) et plus corporeis oculis quam mente uidentes,

qui uestrae aeternum naturae et conditioni
audetis conferre Deum! Cui, si quid amatis,
in laudem praui adiicitis uestrisque beatum

creditis esse bonis aut ulla incommoda ferre.

(165) An quia, cum magnas urbes populosque tenetis
sub uestro imperio, miserum est insomnibus aegram

partiri curis in multa negotia mentem,

cumque graues trepidis incumbant undique causae,

non fert urgentes industria uicta labores,

(170) et si animis aegris depulsa est sollicitudo,

blanda uoluptatem requies creat otia nactis:

de Domino hoc sentire pium est, quem semper eundem

nil grauat, ex toto nil occupat? Effluit aetas

ac uenit, et spectant genita et gignentia finem:

(175) ille manet, simul acta tenens et agenda, futuris

ulterior, dum praeteritis prior, omnibus unus

praesens, et solus sine tempore tempora condens.

Vtque aeui spatia ac numeros praecedat et exit,

sic nullo immensus cohibetur fine locorum.

(180) Nilque adeo est magnum, quod non certus modus arcet:

et caelum et terras et totum denique mundum

limes habet: meta est altis et meta profundis.

Sed nusquam non esse Dei est: qui totus ubique

et penetrat mundi membra omnia liber et ambit.

(185) Haec igitur uis sola potest moderamina rerum

diuidere et placidis eadem persistere curis:

quam non effugiant cita, nec remorantia tardent,

quae nunquam ignara, nunquam longinqua, nec ullis

translata ac cedens regionibus absit ab ullis,

(190) nec de noscendis egeat manifesta doceri.

Haec testis rerum tacita audiat, abdita cernat,

det uitas adimatque datas, pereuntia saluet,

deiecta attollat, premet ardua, proroget annos

et minuat, mutet corda, et peccata remittat.

(195) Sed qui uirtutem concedunt Omnipotenti,

forte uoluntatem demant et, magna regentem,

curam hominis renuisse putent, in tempora nati

exigua et uaria sub tempestate relict.

Quo uos sponte iuuat cadere oblitosque Parentis

(200) in pecudum genus et sortem transire ferarum?

Incomperta latent naturae exordia nostrae,

aut spem propositam in Christo praesentia turbant?

Parcite sublimes aeternae gentis honores

degeneri uiolare metu, potiusque relictum

(205) immortale decus superato apprendite caelo.

Nota uia est, Christo cunctis reserante magistro:

qui uocat, et secum nos deducturus et in se.

Ac ne uaniloqui spondere incerta putemur,

res monet a primis aperire parentibus ortum

(210) humani generis causasque euoluere uitae

amissae et rursus, Christo donante, receptae.

Dispositis rebus totum iam Conditor orbem

fecerat et pulchra uernabat origine mundus.

Iam sol dimensis in tempora cursibus ibat

(215) lunaque cum stellis praebebat lumina nocti.

Iam pecudes tellus, iam pisces pontus alebat

et liquidum uolucres innabant aëra pennis.

Sed quod diuina posset rationi potiri,

nondum erat in terris animal: dedit optimus Auctor

(220) hoc homini speciale decus, cumque omnia Verbo

conderet, hunc manibus, quo plus Genitoris haberet,

dignatur formare suis. Substantia duplex

iungitur inque unam coëunt contraria uitam.

Namque anima ex nullis, ut cetera, gignitur, expers

(225) interitus, nisi quod Domino cruciabilis uni est

et rea ferre potest poenam sub nomine mortis:

terrenamque illapsa domum, dat uiuere secum

consortem et pariter diuinum haurire uaporem.

Nec quia dissimilis rerum natura duarum est,

(230) dispar conditio est: manet exitus unus utramque,

seu potior iuri subdatur posterioris,

seu se maioris uirtuti infirmior aequet.

Est etenim ambarum uinci, est et uincere posse,
proficere et minui, regnare et perdere regnum.

(235) Non quia plus cuiquam, minus aut in origine causae
nascendi attulerint, aut ulla externa creatos
uis premat ignarosque agat in discrimina morum,
sed quia liber homo et sapiens discernere rectis
praua potest, in se intus habens discrimina rerum

(240) iusque uoluntatis, quo temperat arbitrium mens,
si tamen ancipitis caeca inter proelia uitae
non de se tumeat, sed uotis tuta modestis
inde putet totum posse, unde accepit et esse.

Insita sic nobis patriae uirtutis imago est:

(245) longo iustitiae quae multum exercita cultu
ceu speculo lumen diuinum imitata referret.

Cumque bonis positum transisset in artibus aeuum,
aeternam uictrix arcem mansura teneret,
totaque res effecta Dei iam nulla subiret

(250) proelia, nec trepide secum decerneret in se,
nec uellet quod mos nollet uoluisse, timere,
ignorare, optare, pati iam nescia, nullis
crescere egens cumulis nullisque obnoxia damnis.

Et quo promissis adsit fiducia magnis,

(255) ac spes propositae sit non incerta coronae,
munere praesentis uitae documenta futurae
sumit homo et dandis confidere discit adeptis.

Huic caeli uolucres et cuncta animalia terrae
subiecta et pisces, quos nutrit pontus et amnes.

(260) Huic solis lunaeque uices et sidera noctis
nosse datum numerisque dies comprehendere et annos,
scire potestates herbarum et nomina rebus
indere et ingenium uarias augere per artes.

Hunc potiore unum cunctis spirantibus uni

(265) subiectum seruire Deo, nec corporea ui,

sed rationis ope praefortibus imperitare.
Quod si quis non totus homo haec extendere uerbis
me putat et nondum sese cognouit in istis,
audiat a primis distare parentibus auctum
(270) per delicta genus, multa et rubigine morum
corruptum exigui semen superesse uigoris.
Vtque suae tantum naturae discat honorem,
in summum sancti generis redeat caput et se
aestimmet a manibus Domini afflatuque regente.

(275) Qualis Adam, nondum terram damnatus in istam
et liber culpae, paradisi diuitis orbem
cultarum locuples uirtutum fruge tenebat.
Cui cum tanta Deus largitus dona fuisset,
uiperei populi princeps inuidit et alta
(280) deiectus regione poli (quia summa tenere
non nisi pura potest bonitas), maiora nocendi
concepit uerso mutatus corde uenena.
Qui possessorem tantarum deliciarum,
mandatu exclusum quia nouerat arbore ab una,
(285) perpulit a uetitis pomum decerpere ramis,
queis inerat recti et prauis experientia maior
tunc ditioe hominis: quia nondum acceperat hanc uim,
qua posset uitanda suo sine nosse periculo.

His illata dolis, hoc crimine nata subegit
(290) mors hominem, culpa in cunctos manante minores.
Quae semel antiqua pulsos uirtutis ab arce
non uno tantum transfuso errore parentum
implicuit, sed cum populis nascentibus aucta
multiplicem lata porrexit strage ruinam.

(295) At quamquam immissa regnaret morte peremptor,
nulla tamen placitos Domino non edidit aetas
cunctaque diuersos habuerunt saecula iustos.
Quos licet ob meritum uitae bona multa manerent,
in mortem uitata tamen natura trahebat,

(300) non prius a primi uinclo absoluenda parentis,
quam maiestate incolumi generatus in ipsa
destrueret leti causas et semina Christus.

Cuius perpetuam cunctis assistere curam
promptum est exemplis ab origine nosse petitis.

(305) Non latet hanc sanctis onerans altaria donis
iustus Abel, qui primitiis ouium grege lectis
conuertit Domini sincera in munera uultum.

Nec fallit specie deuotae relligionis
dona Cain reprobanda dicans, cui uirus amarum

(310) inuidia in fratrem succenso felle coquebat.
Nec reuocare ferum Dominus sermone benigno
abstinuit, quantumque nefas strueretur ab ipso
ingessit formamque dedit, qua uincere sese
posset et insanae regnaret fortior irae.

(315) Sed concepta semel facinus crudele peregit
impietas, scelere immerso <in> primordia mundi.
At numquid placitum sibi iustum a caede nefanda
non potuit seruare Deus? Sed finis acerbi
occasum potior uita et tribuenda corona

(320) immodico aeterni superabant pondere honoris.

Quid, cum uiuentem de terris transtulit Enoch,
spernebat terrena Deus? Namque omnibus illud
proderat exemplum, quo mortis terror abiret
spemque inconcussam caperet substantia carnis.

(325) Sic alio post multa aeuiuo documenta minores
propositae in Christo meruerunt sumere uitae,
cum raptum ignitis per inane iugalibus Helim
scandentem rutilo uiderunt aethera curru.

An aberat tum cura Dei, cum effusa per omnes
(330) gens hominum culpas, penitus pietate relicta,
dira toris uetitis generaret monstra Gigantas?

Illa quidem, mundi exitium praefata futurum,
tempora larga dedit, queis in meliora reducti
mortales scelerum seriem uirtute piarent.

(335) Cumque nefas placitum toto persisteret orbe,
nec nisi diluuio deleri crimina possent,
sola Noë seruata domus: quae, libera cladis,
illaesa mundo pereunte superfuit arca,
conclusis paribus spirantum de genere omni,

(340) unde forent uacuis reparanda animalia terris.

Non quia non alios populos Deus edere posset,
sed, multis fractus morbis, ut semine ab ipso
idem homo in Christi corpus nascendo ueniret,
utque, Deo iusto meritorum iudice, partam

(345) nossemus requiem sanctis in clade malorum.

Nonne etiam in nostram Domini iam tum miserentis
progeniem tendebat amor, cum credulus Abram,
multorum, pariente fide, genitor populorum,
promissum genus innumeris censebat in astris?

(350) Aut cum in Pentapolim descenderet igneus imber,
nonne prius multo dilata examine uenit
iudicis ira Dei? Qui, promptus parcere, nullas
inuenit causas ueniae deque omnibus unum
dissimilem Sodomis incesta in plebe repertum
(355) exemit paruique dedit dominum oppiduli Loth.

Cum uero Aegyptum Chananaeaeque regna teneret
dira fames, totos septem toleranda per annos,
praestrutitur certe patriarchis causa mouendis
et domus externos inter placitura paratur,
(360) quae blande foueat populi incrementa futuri:
mystica dum Ioseph prodentem somnia fratres
in seruum uendunt pretio falluntque parentem:
dum castum dominae petulantia carcere damnat
dum rex, obscuri <e>narrato aenigmate somni,
(365) exemptum uatem dignatur honore secundo,

dumque piis traducta dolis Hebraea iuuentus
gaudet adoratum uenia cognoscere fratrem.

Qui cum multa insons ferret mala, nonne remotum
resque hominum dedignantem potuisset inepto
(370) incusare Deum questu, nisi cuncta profundis
Iudice sub iusto scisset decurrere causis?

Quae licet infidas soleant confundere mentes,
non possunt turbare pias, quia tempore in isto
haec posita est uirtus, ut libertate potitos
(375) exiguo in spatio iusti patiantur iniquos,
quos Deus ipse modo dilata sustinet ira.

Sic gens cara Deo et saeuuo suspecta tyranno
iniustum imperium regis tolerabat acerbi,
maestarum et matrum foetu potiore necato
(380) contendas iussos lateres praebat ad urbes,
ut durus labor et saeuae inclementia mortis
omnes terribilis populi consumeret annos.

Sed non ista Deo patribus illata remoto
Ipse docet curamque sibi probat esse suorum.
(385) Nam iubet electum Pharaoni edicere Mosen,
ut sinat Aegypto Domini discedere plebem:
ni faciat, multis plectenda superbia plagis
sentiet excitam, quam Regis uim habet, iram.

Ille quidem quoties patitur caelestia tela,
(390) cedit et obsequium simulat: sed clade remota
duratur parcente Deo, causas pereundi
impius inde trahens, quo posset habere salutem.

Donec ui uictus laxat fera iura tyrannus,
ditia barbaricis et Moses agmina gazis
(395) promouet, insigni sulco monstrante columna
per deserta uiam. Quae formam in tempus utrumque
temperat, alterna ut tribuat uice commoda castris:

luce tegens et nocte regens, eadem ignis et umbra,
discutiens flammis tenebras et nube calores.

(400) Quid loquar et trepidis patribus cum incumberet hostis,
diuisum pelagus solidoque rigore ligatas
instar montis aquas uacuo cessisse profundo,
quaque gradum illaesae tulerant tot milia plebis,
oppressum Aegypti populum coëuntibus undis?

(405) Omnis enim Auctori seruit natura potenti,
quaeque ad opem cedunt, eadem famulantur ad iram.

Sed mihi nec uacuum cunctas percurrere formas
uirtutum, et gestis oris non aequa facultas.

Nam quis tantarum euoluat miracula rerum:

(410) mannae imbrem et cunctos in caeli pane saporos,
siccae rupis aquam, et dulcorem fontis amari,
aut inter deserta actos denos quater annos
nec membris nocuisse aeuo, nec uestibus usu?

Legis in exemplum iuuat ire et quaerere ab ipsis

(415) qui curam Domini remouent, an tempore ab illo
coeperit humanas in uitae foedera mentes
informare Deus, nec per tot saecula mundi
permotus uitiiis, tunc ius perscripserit aequum.

Ite ipsi in uestrae penetralia mentis et intus

(420) incisos apices ac scripta uolumina cordis
inspicite et genitam uobiscum agnoscite legem.

Nam quis erit (modo non pecus agri aut belua ponti),
qui uitiiis adeo stolide oblectetur apertis,
ut, quod agit, uelit ipse pati? Mendacia fallax,

(425) furta rapax, furiosum atrox, homicida cruentum
damnat, et in moechum gladios destringit adulter.

Vnus enim Pater est cunctorum, et semine recti
nemo caret similisque omnes produxit origo.

Vnde etenim nondum descripta lege fuerunt

(430) qui placidum sanctis agerent in moribus aeuum,

nec summi Patris ignari, nec iuris egeni?
Ergo omnes una in uita<m> cum lege creati
uenimus et fibris gerimus quae condita libris.

Nec noua cura fuit nostri, cum tradita Mosi
(435) littera praesenti damnaret crimina poena:
sed superadiecta est generi custodia sancto,
qua memor in patriae fidei perstaret honore
et promissorum Domini succederet heres,
cum tamen et quoscumque eadem sub sacra liceret
(440) ire, nec externos arcerent limina templi.
Cumque Dei monitu canerent uentura prophetae,
saepe etiam ad uarias gentes sunt multa locuti.
Sic regina Austri cupidis, Salomonis ab ore,
auribus eloquium Domini uenerata trahebat.
(445) Sic Ninive monitis Ioniae sub tempore cladis
credidit et tribus in luctu ieiuna diebus
promeruit morum excidio consistere regno.

Verum ne longo sermone moremur in istis,
quae sparsim uarieque suis sunt edita saeculis,
(450) neue quod in parte est, in toto quis neget esse,
dum solidam Domini diuisa negotia curam
uelant et nulla accipitur quae rara uidetur:
dicite, quem populum, qua mundi in parte remotum,
quosue homines, cuius generis uel conditionis
(455) neglexit saluare Deus? Vir, femina, seruus,
liber, Iudaeus, Graecus, Scytha barbarus: omnes
in Christo sumus unum. Non persona potentis,
nec domini, regisue prior: distantia nulla
Luminis unius, speculi nisi discrepet usus.
(460) Namque uelut speculum mens est: quae quo mage tersa est
expoliente fide radiisque intenta supernis
hoc mage confessi resplendet imagine Christi.

Qui cum Patre Deo semper Deus, inque paterna
maiestate manens miscetur conditioni

(465) humanae: et Verbum caro fit, rerumque Creator
nascitur atque annis succedit Conditor aevi.

Hoc etenim Lex, hoc ueneranda uolumina uatum,

hoc patriarcharum spes non incerta tenebat:

ultima cum mundi finem prope curreret aetas,

(470) uenturum ad terrena Deum, qui morte perempta

solueret inferni leges longamque ruinam

humani generis meliore attolleret ortu.

Sed tu, qui geminam naturam hominisque Deique

conuenisse uides angusti in trauis ora,

(475) firma tene cautus uestigia, ne trepidantem

alterutram in partem propellat deuius error:

si cernens operum miracula diuinorum

suscipias sine carne Deum, cumue omnia nostri

corporis agnoscas, hominem sine Numine credas.

(480) Nulla etenim soli uita est mihi morsque subactum

detinet et non est quo uictus uincere possim,

sin non uera Dei Virtus mihi consociata est,

aut me non uera Saluator carne recepit.

Cuius maiestas stabilis non hoc uiolatur,

(485) quo redimor, neque se minor est, dum mutor in Illum:

sed mortale meum subit, ut quia morte teneri

uita nequit, pereat mihi mors et non ego iam in me

uiuam, sed Christus, qui se mihi miscuit in se.

Victus enim terrenus Adam transfudit in omnes

(490) mortem homines, quoniam cuncti nascuntur ab illo

et transgressoris decurrit causa parentis.

Sed nouus e caelis per sacrae Virginis aluum

natus homo est aliudque bonus mortalibus in se

fecit principium, carnemque refusus in omnem,

(495) et uita functos, naturam participando,

edidit, et uiuos, uitam mutando, creauit.

Vtque illos ueterum complexa est gratia solos,

qui Christum uidere fide, sic tempore nostro

non renouat quemquam Christus, nisi corde receptus.

(500) En, homo, quanta tibi est gratis collata potestas:
filius esse Dei, si uis, potes. Omnipotens te
Spiritus umbratum Verbi uirtute creauit.
Nec te corporeo patrum de semine natum
iam reputes: pereant captiua exordia carnis.

(505) Nil ueteris coniunge nouo. Non hic tibi mundus,
non haec uita data est. Nulla hic tua, nec tuus ipse es:
emptus enim est pretiumque tui resoluere fas est,
qua potes, ut soluens sis ditior et tibi crescant
quae dederis cedatque tibi pars ipse Redemptor.

(510) Nec te difficilis nunc obseruantia legis
sub durum iubet ire iugum: mens libera sanctum
obsequium ratione ferat, quam Spiritus almus
in tabulis cordis describat sanguine Christi.

Qui nobis quicquid sermonibus insinuauit,
(515) condidit exemplo, factis praecepta coaequans.
Rex Ille et rerum Dominus, sed pauperis egit
in specie, nec ueste nitens, nec honore superbus.
Infirmis fortis, rex seruis, diues egenis:
iustitia iniustis cedit, sapientia brutis.

(520) Sacrilegis manibus percussus, non parat ictum
reddere, nulla refert auidae conuicia linguae.
Damnatur Iudex, Verbum tacet, inspuitur Lux.
Ipse ministerium Sibi poenae est: felque et acetum
dulcius Ille fauis haurit. Sanctus maledictum
(525) fit crucis, et moritur Christus uiuente Barabba.

Impia gens, tantum ausa nefas, sentisne furorem
iam mundo damnante tuum? Sol fugit ab orbe
et medio nox facta die est, concussaue tellus
intremuit, mortemque Deo subeunte sepulcris
(530) excita sanctorum sumpserunt corpora uitam.
Velum etiam templi discissum est, ne quid opertum
in sacris adytis iam plebs indigna teneret

sanctaque pontifices fugerent offensa cruenti.

Te uero extinctae calcantem spicula mortis

(535) et de carne nouum referentem carne tropaeum

tertia discipulis, Iesu, dedit attonitis lux.

Nec dubiis Dominum licuit cognoscere signis,

cum documenta fides caperet uisuque manuque

rimans clauorum uestigia, uulnus et hastae:

(540) cumque quater denis, firmans promissa, diebus

conspicuis multis, saepe et tractabilis esses.

Hactenus in nostris Te, Iesu, nouimus, exhinc

in Tua nostra abeunt: nec iam diuersa sunt, sed unum

sunt duo, dum uita in Vita est, in Lumine lumen,

(545) augmento, non fine, hominis. Quo glorificato

sic homo, sic Deus es, ut non sis alter et alter.

Nosque ad Te ire iubes sursum Tecumque potiri

luce Tua, si calle tamen curramus eodem,

edocti non posse capi nisi de cruce caelum.

(550) Iamne Dei compertus amor diffusaque in omnes

cura patet, notum et cunctis astare salutem?

Et tamen heu rursus querulis, homo, garrula uerbis

bella moues iaculisque tuis tua uiscera figis.

“Cur non sum bonus?” Hoc non uis. “Cur sum malus?” Hoc uis.

(555) “Cur uolo quae mala sunt, et cur quae sunt bona nolo?”

Liber es, et cum recta queas discernere prauis,

deteriora legis, placitisque improuidus haeres.

“Erro, ais, et uellem non posse errare.” Duobus

subiacet haec uotis sententia: nam penitus te

(560) aut esse exanimatum cupis, aut rationis egenum.

Error enim est eius, qui cessit limite recti

quique potest ad iter, Christo ducente, reuerti.

At quem nulla uitae suscepit linea, nusquam

declinat nullumque timent non stantia casum.

(565) Numquid cura Deo de bobus? Numquid ad ullas

fit uerbum Domini uolucres? Num lege tenentur
monstra maris? Quae cum faciunt iussa Omnipotentis,
ignorant sese facere affectumque uolendi
sumunt et quod agunt aliis, sibi cedere credunt.

(570) Sic etiam quae non spirant sunt semper in illo,
in quo sunt formata modo: non plana tumescunt
collibus, aut celsi sternuntur in aequora montes:
non ueniunt Alpes in pontum, aut pontus in agros:
saxa iacent, amnes decurrunt, stantque paludes.

(575) Et tamen his nihil est mercedis: quae sine sensu
dispositos in se praebent uiuentibus usus.
Quod si horum praestare tibi natura uidetur,
iam boue mutari uelles, uel rupe, uel amne.

“Deterior nollem fieri, melior uoluisssem.”

(580) Numquid qui Domino placuerunt moribus almis
displicuere sibi? Numquid non semine ab uno
uenimus, aut alia est hominum natura bonorum?
Non aliter diues quam pauper nascitur: unum est
principium seruis et regibus. Optimus ille
(585) non plus accepit, quam pessimus: aequa Creantis
mensura est, uno qui lumine lumnat omnes.

Sed mundum ingressi uariis rerum speciebus
suscipimur mentemque adeunt quaecumque uidentur
iudicio censenda hominis: stant undique formae
(590) innumerae possuntque omnes spectando probari.
Quaedam etiam patulas intrans stipata per aures:
errores ueterum studiorum et uana parentum
dogmata cum quodam fuce ostentantia ueri.
Haec modulata sono ueniunt, haec leuia tactu,
(595) haec blandis late funduntur odoribus, illa
conciliant uarias in mille saporibus escas.
Magno ergo haec homini sunt discernenda periclo,
ne nimium trepidus nullum procedat in aequor,
neu uagus effusis sine lege feratur habenis.

(600) Est etenim sanctus rerum usus, quem cohibentes
intra modum numeri et momentum ponderis aequi,
pro cunctis soli Domino reddamus honorem.
Omnia quae fecit, bona ualde, ut non uitiorum
incentiva, sed ut superas caperemus in illis,
(605) hic decertato uirtutis agone, coronas.

An tibi caelestes illi, quos protulit orbis
fertque, uiri non haec eadem tolerasse uidentur,
quae patimur: motus animi affectusque rebelles
et circumiectis uitia oppugnantia castris?
(610) Sed gladio uerbi fideique umbone potenti
uincebant arcus tenebrarum et spicula mortis.
Cumque opus hoc mundi magnum pulchrumque uiderent,
non mare, non caelum, non ignem, aut sidera caeli,
quae numero subiecta sibi uisusque tenebant,
(615) suspexere deos: unum, ratione magistra,
Auctorem et Dominum rerum, non facta, colentes.

At tu, nobilius qui factum te uoluisses,
numquid in angelico satus ordine non quereris?
Nam cum ille excelso deiectus Lucifer axe
(620) conciderit rueritque illo pars tertia pulso
astrorum, quaero, in quam tunc parte fuisses?
Clara Dei semper bonitatis imago maneres,
an castra inuidiae sequeris et agmina noctis?

Sed quo te praeceps rapit orbita? Vis bonus esse
(625) absque labore tuo credis hoc cedere posse,
si tibi mutantur natalia sidera, quorum
te prauum decursus agat. Quid uana uetusti
perfugia erroris Chaldaeis quaeris in astris?
Quamuis sollicitis adeas caelestia curis
(630) et penitus causas rerum scruteris opertas,
non renues mage nosse Deum, quam cuique elemento
naturam dederit, qua pontum lege moueri
iusserit, aut teneris quam uim conseuerit auris,

sidereosque ignes in quae momenta crearit.

(635) Qui cum sincerus fons sit aequique bonique,
immitem iussis legem praescipsit iniquis,
si prius ipse hominum mores constrinxerat astris.
Namque aduersa sibi sunt haec nimiumque repugnant:
exigere insontes actus delictaque poenis

(640) afficere et cunctos eadem ad promissa uocare,
contra autem natis uiolentum affigere sidus,
quod nec uelle homini cedat, nec posse, sed omnes
desuper ignaros et uirtus ducat et error.

Ergo aut aethereis nullum est ius ignibus in nos,
(645) aut si quid nostri retinent, amittere possunt,
cum mihi progenito ad uitam mandata salutis
et cordi insinuet bonus Auctor et auribus, ac me
currentem mercede uocet, terrore morantem.

“Solum, inquit, uenerare Deum solique memento
(650) seruire, externas et respice relligiones.

Hoc operis sectare boni, hoc fuge cautus iniqui:
uita beata isto paritur, mors editur illo.
Coram adsunt aqua seruatrix, populator et ignis:
ad quod uis extende manum, patet aequa facultas.”

(655) Quod Legis monitus et uatum scripta piorum
et Deus ipse suo nequicquam promeret ore,
arbitrium nostrum si uis externa teneret.

Verum si quid obest uirtuti animosque retardat,
non superi pariunt ignes, nec ab aethere manat,
(660) sed nostris oritur de cordibus: ipsaque bellum
libertas mouet et quatimur ciuilibus armis,
otia cum mollis complexa ignaua uoluptas
difficili negat ire uia brauioque potitos
ardua quaeque piget pro spe tentare latenti.

(665) Cumque haec intus agi prospexit callidus Hostis,
de studiis nostris uires capit, utque Parentis
auertat ueri cultum, persuadet ab astris

fata seri frustra que homines contendere diuis:
hic uario uitae dominos mercantur honore.

(670) Error abi, procul error abi! Satis agnita prisca
sunt commenta doli, monitos quibus Omnipotens nos
elaqueat cultusque docet uitare profanos.

Scimus enim quanta steterit mercede quibusdam
sidus adoratum Rempham uenerataque caeli

(675) militia et cultus soli lunaeque dicatus.

Nec latet haec uerbis hominis subsistere iussa
ad uocem seruisse mora noctisque repulsae
temporibus creuisse diem, cum lux famulata
nesciret nisi quem faceret uictoria finem.

(680) Nouimus et caelo praescriptas condiciones
arbitrio quondam sancti mansisse prophetae,
cum positum ad tempus clausos sitientibus agris

non licuit rorare polos: ipsumque, uocata
partibus e superis in sancta altaria flamma,

(685) quem dederat sacris ignem, immisisse profanis.

Cuius uis etiam Christi delapsa fuisset
discipulis, poenam hospitii exactura negati,
ni patiens Dominus uenia praeuerteret iram.

Nullum ergo in nos est permissum ius elementis:

(690) in quae <est> ius hominis, nec possunt condere legem
quae legem accipiunt. Solus Deus omnipotens Rex:

omnia qui nostrae dispensat tempora uitae,
nec seruire astris uult quos super astra locauit.

Nam quoscumque sacro renouauit Spiritus amne,

(695) in Christo genitos, mortali ex stirpe recisos,

iam sedes caelestis habet, nec terrea nequit
progenies templum in Domini corpusque redactos.

Quod si quis cursu astrorum effectoque notato
contendit naturam hominis uitamque uideri,

(700) quaero, quid hac trepidis mortalibus afferat arte?

“Hic, inquit, felix, miser hic erit: hunc rapiet mors

impubem, hic senio transcendet Nestoris annos.”

Falsum hoc aut uerum est? Si stant praedicta canentis,
nec misero superest spes, nec formido beato.

(705) Et quae sideribus danda est reuerentia fixis,
si quae ferre queunt, nequeunt decreta mouere?

Dent sese scelerum potius torrentibus omnes:
fallant, diripiant, iugulent, fas omne nefasque
confundant: persistet enim nihilominus astrum.

(710) Cuius ab effectu firmato cardine rerum,
ut mala non poterunt sancta probitate repelli,
sic bona non fugient peruersos debita mores.

At si praedictae sortis mutabilis ordo est
et declinari possunt uentura, soluta est

(715) omnis ab ancipiti casu uis pendula fati.

Scrutatis igitur stellarum motibus, hoc est
artis opus: totam subuertere relligionem,
dum nullum curare Deum mortalia suadet,
aut dum posse docet uotis elementa moueri,
(720) innumeram miseris plebem insinuare deorum.

Sed quia, detectis laqueis iam fraudis opertae,
quo captos uanis studiis deduceret error
compertum, superest nunc respondere querelis,
quae mundi rebus diuinam absistere curam
(725) obiiciunt, dum saepe bonos labor anxius urget,
et tranquilla fluit cunctorum uita malorum.

Dic age, qui nullis Domini moderantis habenis
humanas res ire putas, quid ab ordine cessat
naturae? Quae bella mouent elementa? Quid usquam
(730) dissidet a prisco diuisum foedere rerum?

Sic interiecta solis reuocatur in ortum
nocte dies, idem est lunae astrorumque recursus
et relegunt notas subeuntia tempora metas.

Non aliter uenti spirant, ita nubibus imber.

(735) Leta negant seruantque genus trudentia flores

semina quaeque suum. Nec abest ab origine rerum
ordo manens: isdem subsistunt omnia causis.
Quae nisi perpetui solers prudentia Regis
astrueret molemque omnem spirando foueret,
(740) conciderent subita in nihilum redigenda ruina.

Et cum haec peruigili cura Omnipotentis agantur,
quae certum ad finem deuexo limite uergunt,
quis neget in nostram gentem specialius aequum
partiri sua iura Deum? Cui perpetis aeui
(745) spem tribuit, propriae largitus imaginis instar.

At qui nec poenam iniustis, nec praemia sanctis
restitui ad praesens quereris, uellesne per omnes
ultricem culpas descendere Iudicis iram?
At quo magnanimi clemens patientia Regis
(750) distaret saeua immitis feritate tyranni?
Aut quae pars hominum peccati nescia mundum
possessura foret? Vel sanctae quis locus esset
uirtuti in terris? Cui si praesentia dona
affluerent, caelo potius sublata maneret.
(755) Sic mundi meta abruptis properata fuisset
temporibus, nec <iam> in sobolem generanda ueniret
posteritas, pariter cum iustos atque nocentes
aut promissus honos, aut poena auferret ab orbe.

Nunc uero et generis nostri profunda propago
(760) tenditur, ac duplici succedit origine pubes,
nata patrum membris et Christi fonte renata.
Et pia dum populis Domini patientia parcit,
in lucem multos de tetra nocte reuersos,
ac posita claros peccati labe uidemus.

(765) Ille per innumeros uultus et mille per aras
barbatos leuesque deos, iuuenesque senesque
ut quondam fecere, colens, iam errore parentum
abiecto solum Vnigenam summissus adorat.

Hic sophicas artes Graecorum et uana secutus
(770) dogmata, iam Christo sapere et brutescere mundo
gaudet, apostolico ductus caelestia ludo.

Quam multos procul a portu rationis in altum
dedecorum turbo abstulerat: quos aequare toto
iactatos nimiumque uagis erroribus actos
(775) nunc reduces iuuat excipere amplexuque paterno
confotos nusquam statione abscedere uitae.
Quos si multa inter morum delicta priorum
plectisset propere rigor implacabilis irae,
intercepta forent melioris tempora uitae,
(780) nec standi uires licuisset sumere lapsis.

“Mortem, inquit Dominus, peccantis nolo, nec ullum
de pereunte lucrum est: redeat magis inque relictum
mutatus referatur iter uitaeque fruatur.”

Et quia uirtutum similes uult esse Suarum
(785) quos genuit, “uindictam, inquit, Mihi cedite: reddam
iudicio quae digna Meo, detur locus irae.”

Sic dum multorum differtur poena malorum,
nonnulli plerumque probos reuocantur in actus,
ac fit quisque sibi iudex ultorque seuerus,
(790) quod fuerat prius interimens aliusque resurgens.

At qui persistunt errori incumbere longo,
quamuis in multis uitis impune senescant,
in saeuum finem uenient, ubi non erit ulla
spes ueniae, minimo ad poenam quadrante uocando.

(795) Nos etenim, quoties causa quacumque mouemur,
uindictam celerem cupimus, quia rara facultas
non patitur laesos tempus transire nocendi.

At uero Aeternum nil effugit omniaque adsunt
salua Deo. Nihil est Illi tardumue citumue,
(800) nec dilata umquam, nec festinata putemus
quae ueniunt: nostris mutantur tempora rebus.

Nam quod ubique agitur, quod gestum est, quodque gerendum est

ante oculos Domini puncto subsistit in uno,
una dies Cui semper adest cras atque here nostrum.

(805) Sed quamquam examen Deus omnia seruet in illud,
quo, quae nunc occulta latent, reserata patebunt,
multa tamen mundum per saecula cuncta regentis
iustitiae documenta dedit, dum maxima bellis
regna quatit, dum saepe urbes populosque potentes
(810) exhaurit morbis, cremat ignibus, obruit undis:
dumque inopes ditat, deiectos eleuat, auctos
imminuit, soluit uinctos subigitque superbos.

Nec uero hoc nisi cum magna ratione putandum est
accidere, ut quoties iram experiuntur iniqui,
(815) supplicia insontes uideantur obire nocentum.
Multa quidem semper mundo communia in isto
indignos dignosque manent: sol omnibus idem est,
idem imber, pariter subeunt frigora et aestus.
Vtque indiscreta est cunctis aqua, lumen et aura,
(820) sic iniustorum iustos mala ferre necesse est:
ut dum multa malis insontes compatiuntur,
sint quorum merito populis parcatur iniquis
et qui conuersos uirtutis imagine ducant.

Sed cum perdendis indemutabilis instat
(825) finis, non eadem incumbit sententia sanctis:
sunt quos diluuium mundi non obruat et quos
arsuris liceat Sodomis euadere. Norat
angelus Aegypti uastator limina signo
scripta crucis, sacro remouens a sanguine plagam.
(830) Nec rutilo mulier decepta est uellere, cuius
sola domus tanta pereunte superfuit urbe.

Fit mare per tumidum sanctis uia, fitque per amnem.
Et per inane piis gradus est: cibus alite seruo
suggeritur perditque auidus sua fercula messor.
(835) Vtque Dei seruis nihil obsit, uertitur ordo

naturae: uinctos labentia uincula soluunt,
carcer sponte patet, sera non tenet obiice ualuas:
deficit humor aquas, ignes calor, ira leones.

Non autem dubium est, in magnae turbine cladis
(840) inuolui teneros annos et, more parentum,
criminis expertes aliena occumbere culpa.
Nam cum homines pontus tegetet, deleta per orbem
multa puellarum et puerorum milia notum est.

Nec tamen iniuste terris exempta uidetur
(845) progenies auctura malos: cui multus in ipso
exitio est collatus honos, quod crimine patrum
occidit, ante sua caderet quam noxia culpa.

Quod si et iustum aliquem complexa est poena malorum,
ne dubites placuisse Deo. Nec enim mala mors est
(850) ulla bonis: quibus e uario longoque labore
quilibet in requiem patet exitus. Aspera uitam
dat uia: nam campo capitur, non fine corona.

Verum nos blandis capti offensique seueris,
nec bona iudicio spectamus nec mala uero,
(855) dum non nostrarum curanda negotia rerum
suscipimus propriisque iuuant aliena relictis.
Nec quemquam uitii miserum, aut uirtute beatum
censentes, frustra externis culpamque decusque
iungimus et caelo ascripti terrena fouemus.

(860) Felices dici mos est, quos blanda potestas
in summos apices tumidorum euexit honorum:
quos magni quaestus ditarunt et quibus amplos
concessit reditus totum res fusa per orbem.
Laudantur uestes pretiosae et pulchra supellex,
(865) magnae aedes, famuli innumeri uigilesque clientes,
et quicquid non est nostrum quodque, ut dare quiuit
una dies, sic una potest auferre. Nec illud,

quod speciale bonum est hominis nullamque timet uim,
amplexi, miseros, quibus haec perdentia desunt
(870) et per mille modos pereuntia, credimus, ac si
iustitiam durus labor urgeat et dolor aegri
corporis et mortes natorum et turpis egestas.

Non quantas pariat constans tolerantia palmas,
nec quo pugna breuis sit processura uidemus,
(875) sed calicem crucis ac uitae libare uerentes,
uipereum obducto potamus melle uenenum.
Dulcia sunt etenim gustu specieque decora
quae morbos mortemque animae generantque fouentque,
canceris et ritu languentia uiscera carpunt.
(880) Cumque Deus medicam caelo demittere curam
dignatur penitusque putres abscindere fibras,
incusamus opem teneri et tabescere morbo
malumus, antidoti quam uim tolerare seueri.
Non igitur mala sunt quae nos mala ducimus, et cum
(885) ulceribus diris non parcit dextra medentis,
amplectenda salus, non exacuenda querela est.

Nam quos peccantes Deus arguit, hos etiam nunc
diliget et patrio uult emendare flagello.
Meque istis potius societ, quam congreget illis,
(890) quos iam summoto permisit uerbere cursu
ire uoluntatis propriaque libidine ferri.
Hi sunt uero illi, quos inter crimina tutos
et scelerum dites fructu impunita senectus
extremas turpis uitae produxit in oras.
(895) Hi iustum iniustis odiis pressere, per istos
bella excita piis et flagra medentia tardis.

Namque eadem cunctos exercent tela fideles
sub duplici causa: dum quo torquentur iniqui,
hoc sancti crescunt, et quod poenam attulit illis
(900) pro culpa, hoc istis dat pro uirtute coronam.

Denique si quicquid mundanis rebus acerbum
accidit excutias, totum iam sponte uidebis
anticipasse Dei famulos. Gemit ille talentis
argenti atque auri amissis, hunc rapta supellex
(905) perque nurus Geticas diuisa monilia torquent.
Hunc pecus abductum, domus usta epotaque uina
afficiunt, tristes nati obscoenique ministri.
Sed sapiens Christi seruus nil perdidit horum:
quae spreuit caeloque prius translata locauit.
(910) Ac si quid mundi sub tempestate laborum
incidit, intrepide subiit, manifestus honoris
promissi et cupidus uicto certamine solui.

At tu, qui squalidos agros desertaque defles
atria et exustae proscenia diruta uillae,
(915) nonne magis propriis posses lacrimas dare damnis,
si potius uastata tui penetralia cordis
inspiceres multaue obtectum sorde decorem
grassantesque hostes captiuae mentis in arce?
Quae nisi per cunctas patuisset dedita portas
(920) inque suam cladem facibus fomenta dedisset,
haec etiam, quae facta manu speciosa fuerunt,
deuoti meritum populi testata manerent.
Sed cum deformi iaceant prostrata ruina,
obiiciunt nobis casus nostrosque suosque.

(925) Hos igitur cineres templorum, haec busta potentum,
quae congesta iacent populati cordis in aula,
plangamus captiua manus: nos splendida quondam
uasa Dei, nos almae arae et sacraria Christi,
in quibus argentum eloquii, uirtutis et aurum,
(930) et sceptrum captum est crucis, et diadema decoris.
Nec rabidis iustam moueamus questibus iram,
iudicium culpando Dei, quod mentis et oris
officium multa transcendit maius abysso.

Quamuis exiguo hoc fugientis tempore uitae

(935) iniusti tumeant et tuta pace suorum
laetentur scelerum, nonque illo uinea fallat,
non ager, et noceant illaesi, et crimine crescant:
nos, quibus in Christo sunt omnia, ne capiant res
occiduae, quas nec nobiscum inueximus orbi,
(940) nec discessuri mundo exportabimus isto!

Sed si quis superest animi uigor, excutiamus
peccati seruile iugum, ruptisque catenis,
in libertatem et patriae redeamus honorem!
Impia non oberunt cum saeuo pacta tyranno,
(945) captiua conscripta manu. Resolubile Christo est
hoc foedus: quod iure potest subuertere iusto,
auersos reuocans et suscipiens conuersos,
sanguine quos proprio quaesiuit prodigus Emptor:
si tamen Assertoris opem festina uoluntas
(950) praeueniat, fletu Dominum motura fideli.
Nam ut nemo inuitus, somnoue quietus in alto
fit saluus, nec ui petitur qui sponte recessit,
sic pulsata patent redeuntibus atria uitae
et recipit caeli seruatos curia ciues.

(955) Cuius spem ueniae firmato corde fouentes,
implorate Deum pugasque relinquite, fratres
uerborum et lites de prauis sensibus ortas!
Nec quia procidimus fusi certamine primo,
stare et conflictum uereamur inire secundum!
(960) Cuncta licet uariis terroribus impleat hostis
et uigili clausas obsidat milite portas,
cum uicto tamen est bellum, sic carne uetusta
exuti, in Christi renouemur corpus et omnem
uincendi nobis uim de Victore petamus.

(965) Qui dum nostra Suis sociat, iunxit Sua nostris,
ut non humanis fidens homo, totus in Illum
se referat, sine Quo non stant qui stare uidentur
et per Quem sparsi coeunt stratique resurgunt.

Haec sat erit paruo rudibus scripsisse libello:

(970) qui cum sincerum uiuo de fonte liquorem
gustarint, ipsi profundent flumina ab aluo
cordis et irriguas praebebunt fratribus urnas.